



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1595. usque ad annum 1600

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1773

VD18 90118677

§. 45. Francisci Toleti Cardinalis fatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67263](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67263)

Sæcul. XVI. A.C. 1596. fimo quarto e Gallica legatione sua Romam reversus, & triginta septem Cardinalibus obviam missis perhonorifice exceptus a Clemente VIII. Presbyteris Cardinalibus accensebatur, obtento titulo sancti Onuphrii. Tandem omnium virtutum laude cumlatus hoc anno die vigesima nona Maji Romæ ex hac mortali vita decessit, in Ecclesia tituli sui sepultus, ubi ejus monumentum ab Hieronymo Agucchia utriusque Signaturæ Referendario ejus Nepote positum una cum sepulchrali elogio visitur. Hic idem facundia celebris, semperque præter plurima rationum momenta in promptu habebat elegantes sacræ Scripturæ, vel sanctorum Patrum sententias apposite suis sermonibus interjectas, præcipue vero summo plausu excepta, typisque ob præstantiam gallice, & latine edita celebratur ejus oratio, quam contra hæreticos in Galliis ad Catholicos habuit.

§. XLV.

Francisci Toleti Cardinalis fatum.

Ciacon. t. 4. **P**ostremus denique inter Cardinales hoc anno defunctos erat Franciscus
pag. 278. Toletus Cordubæ in Hispania die un-
Spond. n. 23. decima Octobris anno restauratæ Salu-
Thu. l. 117. tis millesimo quingentesimo trigesimo
pag. 770. secundo humili loco natus, qui sacra-
Purp. Doct. **lib. 5.** toribus

tioribus literis apprime excultus sub Sæcul.XVI.
 Dominici Soto ex Ordine FF. Prædica- A.C.1596.
 torum Doctoris Magisterio Theologiæ
 operam navabat, demum vero ejusdem
 Facultatis Magister creatus, Salman-
 ticæ Anno a partu Virginis millesimo
 quingentesimo quinquagesimo octavo
 Philosophiam publice tradidit, atque
 anno ætatis suæ vigesimo tertio ibidem
 Societatem ingressus sub Paulo IV. sancti
 Francisci Borgiæ jussu Romam conten-
 dit, ubi in Collegio Romano Philo-
 sophicas, & Theologicas disciplinas per
 plures annos professus, atque Aldobran-
 dini Cardinalis opera adjutus, post Bene-
 dictum Palmium, Alphonsum Salmero-
 nem, & Emanuele Sa Pio V. a Concio-
 nibus esse jubebatur, quo munere plus-
 quam viginti annis functus est, ac ma-
 ximi momenti negotiis præfectus Com-
 mendono Cardinali in Germaniam ad Cæ-
 sarem, & Poloniæ Regem eunti, & Tur-
 cicum bellum urgenti comes addebatur,
 inde vero redux a Gregorio XIII. in Bel-
 gium missus est, ubi Michaelem Bajum
 argumentorum pondere ad palinodiam
 compulit, quapropter idem Pontifex To-
 letum a sui Ordinis obsequio liberans,
 illum in Vaticano Palatio habitare jus-
 sit: mortuo autem Gregorio XIII. To-
 letus a Sixto V. ejus Successore Bibliis
 recognoscendis præfectus, demum a
Hist. Eccles. Tom. LII. G Cle-

Sæcul. XVI.
A. C. 1596.

Clemente VIII. in primis Comitibus Presbyter Cardinalis titulo sanctæ Mariæ Transpontinæ anno salutis nostræ millesimo quingentesimo nonagesimo tertio die decima septima Septembris primus e Societate sua renuntiatus est. Tandem laborum, ac negotiorum mole oppressus, meritisque plenus Romæ anno ætatis suæ ferme sexagesimo quarto die decima quarta ejusdem Mensis animam Deo reddidit, sepultusque fuit in Ecclesia sanctæ Mariæ Majoris, cui multa aureorum millia in pios usus reliquerat: insuper Bibliothecam suam Collegio Romano Societatis Jesu legabat. Scripsit eruditus hic Cardinalis præter plurima Philosophica, & Theologica opuscula, præcipue Commentarios in Evangelia sanctorum Lucæ, & Joannis, necnon in epistolam D. Pauli ad Romanos: præterea existant adhuc præter ipsius epistolas varii sermones ab eo pronuntiati, quibus tamen ultima deest manus, ac propterea nondum publicam lucem aspexerunt.

§. XLVI.

Quatuordecim Cardinales a Clemente VIII. Papa creati.

*Ciac. vlt.
Card. t. 4.
pag. 287.*

Ceterum horum Cardinalium jacturam eodem hoc anno Clemens Pontifex abunde resarciebat, dum feria quarta